

Gd. 62.





SCHEDIASMA SEXTVM  
DE VITA  
ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORVM,

A. M C C X C V I.

AD SOLEMNIA <sup>Q V O</sup> LVSTRATIONIS  
GYMNASII IDSTEINENSIS

VERNA,

D. VI. APRILIS A. MD CC LXXVIII.

CONCELEBRANDA,

PATRONOS, FAVTORES,  
ATQUE  
AMICOS LITTERARVM

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE

INVITAT


JO. PETR. WAGNER,  
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.









ACTA A. MCCXC VI.



**A**dolphus, ut erat impigro atque acri ingenio multo labore, multaque cura, hostes persequendo, amicis subveniendo, etiam hoc anno effecit, ut amicis carus, hostibus maximo terrori esset. Qui superiori anno in *Thuringia* victor, praeposito copiis hie-mantibus *Breubergo*, in *terram Plisnensem* ab *Rudolpho I.* Imperio restitutam, processit, *Fridericum* admorsum, & *Ticemannum* oppugnaturus.

D. XXIII. Jan. morabatur *Chemnitii*, cum ejus ecclesiae parochiali duas redditum marcas confirmaret. (a)

D. XIV. Aprilis fuit *Altenburgi*, ubi privilegia Monasterii *Altencelle*, ordinis *Cisterciensis* *Misnensis* dioecesis habebat rata. (b)

Neque alia causa, cur Rex hoc tempore in his terris moraretur, fuisse videtur, nisi ut ea, quae usui erant ad obsidionem *Freybergae*, pararet.

Quo facto, pro more Regum Romanorum, alias Imperii provincias peragrabat, ut, qui illis ex ipso fructus debebantur, eos uberiores & praesentiores

Q 2

(a) *Histor. Nachrichten von Chemnitz*, p. 20.

(b) *Knauch. Urzellige Sist.* p. 119. *Hoffmanni Script. Lusat.* P. IV. p. 216.

*Adolphum* autem, interposita fide publica *Fridericum* ad se *Altenburgum* vocasse, ut de pacis negotiis coram cum illo ageret, inter epulas sicarium quendam in *Friderici* caput subornasse, hunc ope suorum vix periculum effugisse, memorant Scriptores recentiores, non coevi.



res capere possent. Itaque d. XXIII. Aprilis versabatur *Ratisbonæ*, cujus cives urbem novis mœnibus cincturi, urgebant Clericos, ut communem patriam sumtibus communibus munirent. Sed *Henricus*, urbis Episcopus, proferens privilegium ipsi a *Friderico II.* concessum, petit ab *Adolpho*, ut non injustis civium querelis daret locum.

Rex igitur, causa cognita, non solum privilegium antiquum confirmavit, sed etiam illud per *Bruxinsem Episcopum* civibus prælegi jussit, addito mandato, ut ne Clerum libertate a Regibus Romanis impertita frui impedirent: cui etiam cives postea morem gesserunt. (c)

Circa id tempus Rex *Eslingam* pervenisse videtur, ubi conventui Sanctimonialium ordinis S. Claræ in *Pfullingen* hoc privilegium concessit, ut a nemine, nisi a nobili viro, *Luthero de Isenburg*, provinciali Sueviæ advocato, vel ejus successore, vel in civitate *Reutlingen* in judicium vocarentur. (d)

Quemadmodum vero Rex noster non diu uno eodemque loco morari consueverat, ita etiam hoc anno factum est, ut sæpius repeteret *Thuringiam* & *Misniam*, copiis suis adfuturus. Inter hæc negotia venit *Isenacum* & d. XXIX. Maji *Monasterio Portensi* ordinis Cisterciensis lacum in *Braubaco*, jus advocatitium in *Zebcur*, bona in *Wolfgangsdorf* & *Lafan* confirmavit. (e)

Inde *Gelnhusium* profectus est, rebus sacris & profanis inserviando, officia boni imperatoris exsecutus. Etenim hoc loco d. XXIV. Jun. *Monasterio de Selbold* ordinis Præmonstrat. Mogunt. diocesis in *Wetteravia* sito, decimas & alias possessiones, quæ ab Imperio habentur in feudum a Vasallis & Ministerialibus permutationis, exemptionis, legati, & quovis alio justo titulo usque ad triginta marcarum reditus obtinendi fecit potestatem. Quod autem hæc officia *Monasterio Portensi* & *Selboldensi* præstitit, is quidem fecit abundantia quadam pietatis, fructum sperans ex bonis illorum operibus in animam suam post obitum redundantem. (f)

Eodem die & ni fallor, eodem oppido in conventu principum rem multo graviolem perfecit: cujus occasionem dedit gener *Adolphi Rudolphus*, Dux Bojo-

(c) *Henr. Rebdorff.* ad an. 1296. apud *Freher.* T. I. p. 44. Hanc quidem causam refert, *Henr. Sero* ad an. 1295. Nos autem lubentius sententiam *Henr. Rebdorffii* sequimur, quia illi ipsum diem, quo res facta est, Festum St. Georgii nominare potuit. Neque timemus judicium *Hundii* in *Metrop.* P. I. p. 137. qui hanc actionem ad annum 1294. rejicit.

(d) de *Ludewig.* Reliq. T. X. p. 160. *Glassey* p. 343. At dies, in quo hæc litteræ datæ sunt fuit omissus. *Acta eruditiorum* ad a. 1739. p. 690. docent, *Lutherum* de *Isenburg* isto anno advocatum Provinciale Sueviæ fuisse. conf. de *Ludewig* L. c. p. 164.

(e) *Menckenii* Script. Rer. Germ. T. I. p. 779.

(f) *Koppii* Juris Germ. privat. Specimen II. de testamentis Germanorum pag. 199.



Bojorum & Comes Palatinus, qui cum *ducibus Carinthiae* disceptans, iudicium Regis imploravit. Namque hoc anno *Manardus*, Dux Carinthiae moriens, tres reliquit filios *Ludovicum*, *Ottonem* & *Henricum*, Ducatum inter se dividentes. Qui vero non solum jugum Imperii Romani detrectabat in solitam fidelitatis formulam jurare Caesari recusantes, sed etiam *Ratemburgum* oppidum Bojorum in ora Norici, Oeno conterminum, a *Ludovico*, patre *Rudolphi*, *Manardo* milibus unciarum argenti quatuor ac viginti oppignoratum, summa pecuniae perfoluta, contra testamentum patris reddere volebant. Quare illi, laesa maiestate in hoc conventu condemnantur, atque exauctorantur: nec *Caesar* in litteris, quibus sententiam principum renuntiat, nomen Ducum adscribit, sed illos ab hoc dignitatis gradu depulso tantummodo Nobiles a Tirolio appellat. (g)

Inde Rex decedens, *Francofurtum* pergebat: quo loco die IV. Julii divisionem terrarum inter filios suos ab *Henrico I. Hassie Landgravio* factam confirmando, nomen illustravit & celebravit suum. (h)

Q 3

Qua-

(g) *Aventinus* Annal. Boj. p. 694. Qui vero etsi loci, quo id factum esse dicitur, non mentionem faciat, tamen dies, quo hic Principum conventus fuit habitus annuit, id *Gelshusii* accidisse, quia hoc die, ut supra diximus, *Gelshusii Adolphus* morabatur. Igitur *Fugger* p. 212. qui de hoc casu & mense accurate exponit, non suspicionem erroris effugiet, hanc causam *Ratisbona* iudicatum esse existimans, in hanc sententiam scribendo: A. 1296. saeb Herzog Mainhart in Eärnten, und verließ 3. Eöhne, Ludovicum, Ottonem und Henricum, welche das Herzogthum unter sich theilten, wie wohl die zween zeitlich starben, und Henrico das ganze Land verließen. Diese 3. Fürsten wollten dem Kaiser Adolph nicht für einen Kaiser erkennen, noch die Lehen von ihm empfangen. Sie wollten auch seinem Eidam, Pfalzgraf, Rudolphen die Stadt und Herrschaft Ravensburg am Inn, so von seinem Vatter ihrem Vatter vererbt, aber wieder geköfft worden war, nicht abtreten. Darnach wurden sie vom Kaiser Adolph, der damals im Junio zu Regensburg abermal einen Reichstag hielt in die Acht erklaert und ihrer fürstlichen Würde entsetzt. Wie er sie dann in einem Schreiben an sie nicht mehr Fürsten, sondern die Edle von Tyrol nennete.

(h) *Kuchenbeckeri* analect. Hass. Coll. VIII. p. 374. ex quibus tironum causa, qui historiae patriae studiosi sunt ipsam Adolphi diploma trado: Wir Adolt von Godis Gnaden ein Römischer König, allemwege ein Merer dan kunt allen den die disen Brief sehen oder hören lesen, das Henriche Kantgreven von Bessen unserne Fürsten, und Henriche, siene Sunne, deme jungne Kantgreven, ein Tag vor wart gegeben mit urteile an dem Dienstag vor sanke Ulrichs sage, unmitte die teilunge und den Mutfare, also her mit sinen Kinden hat geran, des sint sie beider abp mit gesamentem urteile von gericht gescheiden, also das sich Henrich der junge Kantgreve hat vertzigen des teiles zu Bessen, wante her das teil zu Marburg, Brunenberg, dar zu der walt zu Ulrichstein heret, Geysen, Marlowe, Hohenberg, Mordecker, Bydentap, Framenberg, Wetter, darzu das Burgholtz heret, und alles das zu dun vorgeprochenen Fessen heret, iz si Man,



Quarum litterarum argumentum ut planius exponam, altius paullo rationem divisionis repetam necesse est. Igitur *Henricus I.* susceperat ex prima uxore *Adelheida*, *Otonis Ducis Brunuicensis* filia, *Henricum & Ottonem* ex altera vero *Mechtilde Theodorici VII. Comitis Cluvensis* filia, *Joannem & Ludovicum*. Quo autem tempore cum jus primogenituræ nondum ulla lege in *Hassia* esset sanctum, pater filiorum ex utroque conjugio genitorum rationibus consulens, hereditatem, quoad fieri poterat, æquabiliter distributi studuit. Ne vero hereditatis portiones nimium multiplicarentur, terras suas in duas partes primarias in *Hassiam superiorem & inferiorem* dividere constituit: quarum unam heredibus ex primo, alteram ex secundo conjugio decrevit. Ex illa parte caput filium *Henricum*, ex hac *Joannem* esse volebat. Quæ divisio in partes primarias, ut eo facilius perficeretur, pater id voluisse videtur ut *Otto & Ludovicus* viri Sancti ordinis fierent. Certe *Ludovicus* voluntatem, quam exspectarat pater, præstitit, cum referunt, eundem *Scholasticum Moguntinum & Episcopum Monasteriensem* fuisse. (i)

Neque defunt, qui judicant, *Otonem* ex mente patris officio sacro animum applicare debuisse. (k)

Etsi autem *Henricus* pater terras suas ita partitus esset, ut cuique filiorum ufum suæ partis liberum concederet, tamen illas communi quodam vinculo

Man, Manlehen, Lehin odir andirs, was darzu horende ist, geforen hat an der vorgeanten Mutschare unde teile iz enwere dan also vile, daz yme daz teil zu Hessen anderwerbe von Erbeschaf angevile. Ez ist auch vor uns erteilet, das der alte Lantgreve sol enfröden und enkummern siner Eisten Kinterteil, von weime, odir wo iz bekumert ist odir verandert. Duch wart vor uns irtheilet, von wilchen Sachen daz teil, daz Otten des jungen Lantgreven Henriches Bruder werden solde, ledig wurde, daz daz zu besperme rechte werden solde unde gevallen uffe Henrichen den vorgesprochenen jungen Lantgreven siene Bruder, dan anders uf yemanden, want iz ein sament gut ist, daz selbe sal geschehen den festen Kintden mit der teile zu Hessen. Duch ial der alte Lantgreve schaffen, daz Browe Meze thederich, sin Husfrowe und ir Kint seinentlich verziehen uf daz teil zu Marburg und was dar zu benennet ist, an der teile und der Mutschare also do vorgeschrieben ist. Diser Brii ist gegeben zu Frankensurt an Sante Iltrichstage, da man halte von Godes geburte Tusedt zweihundert nunnzick, und in deme seften Jare, unseres Richeis in deme funften Jare.

(i) Hartmanni Hist. Hass. P. I. p. 122. seqq.

(k) Kuchenbecker l. c. Coll. VIII. p. 379. seq. Etsi vero non potuit fieri, ut *Ludovicus*, *Henrici I.* filius, quod refert *Hartmannus* l. c. altare D. victoris in Ecclesia Moguntina a. 1274. erexerit, opulenter ditaverit, ejus jus patronatus ad Scholasticum quendam ex familia sua pertinere voluerit, quia *Ludovicus* isto anno nondum in vita fuit, tamen fortassis pater *Henricus I.* hujus rei auctor habendus est, qui honestum locum perpetuum familiae suæ prospiciendi quærens, illud altare & donationem instituere potuit. Si vero ab hoc vite genere filius *Otto* forsitan abhorruerit, factum esse videtur, ut *Ludovicus* pietate impulsus, hunc locum capefferet.





culo contineri & possideri voluit. Quæ communio in litteris Adolphi voce *Mutscare* significatur: ex quo intelligimus, cum in communi feudorum possessione *Mutscare* usitatus esset, *Henricus* illius jura ad copulationem totius *Hassie* servandam, cujus minimæ partes hoc tempore ex feudis constabant novo more transtulisse, & quod fieri posset, exerceri voluisse. Igitur ex hac comunione facile colligitur, utrosque fratres *Hassie* Landgravios & Dominos vocari, neutrum alteri obnoxium esse, totum Landgraviatum salvo usu partium, unam *Hassiam* manere omnem abalienationem, venditionem, destructionem, neglectum abesse debuisse.

Ita partes *Hassie*, quoad usum erant divisæ, quoad dominium indivisæ. (1)

Quæ copula si non accessisset; uterque partem suam acceptam vendere, oppignorare vel quovis modo alienare neque Dominus totius *Hassie* appellari potuisset: tantum ab illa provincia, quæ illi hereditate obvenisset, titulum usurpare licuisset.

Cui vero incommodo præcautum est, novo *Mutscare* sancito. (m)

Hæc

(1) Conf. Diploma c. *Mutscare* vi originis denotat usum agri liberum. *Mutsc* significat apud veteres liberum arbitrium, conf. *Senckenberg* *Lehnrecht* p. 193. *Schare*, *Schare* usum agri, die *Schur* von einem liegenden Gut, das Einkommen. Atque hoc loco signat usum liberum alicujus boni communis. *Henricus* enim respicit ad jus feudale, ex quo pluribus in feuda succedere licet. Hi possunt aut dominium in minora, aut, communi retento domiui, usum solum dividere. Quæ communio dicitur *Mutscare*, *Mutscierung*. conf. *Sächsisches Lehnrecht* p. 192. *Kaiserrecht* B. III. c. 11. apud *Senckenberg* p. 10. II. c. 12. p. 11. *Struvii* element. jur. feud. §. 257. Ita in divisione *Hassie* nihil præter usum partium singulis heredibus tribui, dominium autem in communi possideri volebat *Henricus*.

(m) Id, cui in *Hassia* occurrebat *Henricus*, in *Thuringia* eodem tempore accidit, cum nullum *Mutscare* esset in usu. Etenim *Alberti* frater *Theodoricus*, non habita fratris ratione, ejus filios in testamento scripsit heredes, ex pleno dominio terrarum suarum agens. Ita quoque *Alberti* pater *Henricus* suarum possessionum partem filii incuriosus, ex pleno dominio nepotibus tradit. conf. *Schediasma* III. p. 78. seqq.

Pari modo agebat *Albertus* *Thuringiam* jure meo vendere possum, res mea est, de qua facere licet, quodcumque lubet. Nulla lex huic venditioni obstat; nemo isto tempore illam vituperare audebat. *Schediasma* III. p. 82. At cur hæc venditio in tantam venit invidiam? Quia paullo post illa communio, quæ dicitur, *Mutscare*, omnibus terris usurpari solebat. Igitur distinguenda sunt tempora. *Henricus* Infans exemplo vicinæ *Thuringie* fuit admonitus, ut illo *Mutscare* constituto terris suis mutilationem præcaveret. Atque ex hoc *Mutscare* evenisse videtur, ut fore ubique Principes, etsi terras hereditarias partiti sint, tamen ex tota hereditate titulis utantur, & ad acceptas portiones servandas integras, se obligatos existiment.

Fili-



Hæc vero divisio liberis *Henrici* ex primo conjugio valde displicebat: quod quidem illis minus mirum videri poterat, cum illo tempore sæpius factum esset, ut pluribus fratribus ex terris hereditate relictiis portiones tribuerentur. Inprimis vero *Henricus* filius, qui jam *collega* patris in regimine fuit, moleste ferebat, cum videret, nullum principatum sibi concedi, quem ob primogenituram mereri credebat. (n)

Quid liberis primi conjugii melius placuisset, ex cogitatis *Otonis*, quæ postea patefecit, cognoscimus.

Id voluisse videntur, ut primogenitus solus *Hassie Landgravius* & *Dominus* esset, liberis ex altero conjugio pecuniæ, feuda, & aliæ opes assignarentur, ceteri fratres pro dignitate generis *Hassie Landgravi*, sed non *Dominii* appellarentur. (o)

Et si vero hoc malum domesticum clam exulceratum a malis auctoribus palam exagitatam & in summam invidiam erat inductum, tamen non firma est illorum sententia, qui nobis persuadere cupiunt, rem ante conventum *Francofurtensem* ad arma venisse. Nulla belli, nulla victoriæ indicia leguntur. Cujus modi malis consiliis obstitit *Adolphus*, qui *Landgravi* voluntate perspecta, patrem & filium *Henricum* ad se *Francofurtum* vocavit & constitutionem patris de dividendis terris regia auctoritate confirmavit. Igitur *Henricus* filius renunciat *Hassie inferiori*, liberis ex altero thoro destinatæ, nisi huic illi postea alio jure hereditario obveniret. At *Henrico* filio

Filius *Henrici I. Otto*, cui illud *Mutscare* minus arridebat, paulo post abrogare, & illius loco jus primogenituræ stabilire cubiebat, ea quidem lege, ut nemo, nisi qui totam *Hassiam* possideret, *Dominus Hassie* appellaretur. *Kuchenbecker* Coll. III. p. 15. Ita ante receptum *Mutscare* illarum tantum terrarum titulos, quas possidebant, usurpare consueverant. Neque post divisionem *Hassie* & *Thuringie* quisquam *Landgraviorum* nomen terrarum, quibus non imperitabat, adscripsit suis titulis. Nec est, cur *Reinkinek* de regimine L. I. class. IV. cap. XIII. p. 415. miretur, cur *Landgravi Hassie* ex ducibus *Brabantinis* legitima serie provenientes titulum *Ducum Brabantie* neglexerint? Hæc erat consuetudo, qua tum res gerebantur.

(n) *Aventinus* l. c. ita narrat *Adolphus Rudolphum* secum *Cattos* abducit, ubi filii majores natu parenti, quod is minores natu impare matrimonio prægnatos illis dignitate coæquare conaretur, rebellant. Etat *Henricus* maximus natu, sororem *Rudolphi* uxorem habebat. Qua propter opera *Rudolphi* tantquam affinis pax facta. Hactenus *Aventinus*. An vero *Adolphus*, antequam convenirent *Francofurti*, in *Hassia* reconciliationis causâ fuerit, eoque secum *Rudolphum*, generum duxerit, in medio relinquo, etsi non dubium sit, *Rudolphum* paci intervenisse, & postea, cum *Adolphus* *Castrum Sauffenberg* oppugnaret, illum se Regi comitem præbuisse. Quod *Aventinus* de impari matrimonio refert, id per alterum conjugium interpretandum est, quia etiam altera *Henrici* Coniux *Clivensis*, ut *Brunsvicensis* nobili genere fuit orta.

(o) *Kuchenbecker*, l. c. Coll. III. p. 15.



filio Hassia superior decernitur, quo pertinuit *Marburgum*, *Grunenberg*, *Ulrichstein* ejusque saltus, *Gissa*, *Merlavia*, *Hohenberg*, *Nordecken*, *Bidencap*, *Frauenberg*, *Wetter* & saltus, qui dicitur *Burgholz*, cum omnibus bonis, locis, viris & feudis suis. Simul ad observandum *Mutscare*, a patre institutum, fidem suam obligat. Pater illam *Henrici* partem, si forte oppignorata fuerit, vel quicquam oneris haberet, levare promittit. (p)

Idem, qui partem terrarum suarum, forsitan in Hassia superiori sitam, (\*) filio *Ottoni* præfuerat, jam constituit, ut, si illa vacaret, adeoque sine prole decederet *Otto*, frater *Henricus* hereditatem adiret, excepto bono quodam familiæ communi, quod parti filiorum ex *Mechtilde* prognatorum adjungi debebat. (q)

Denique patris erat, conjugem suam *Mechtildem* impellere, ut cum liberis suis parti *Marburgensi* & omnibus, quæ ad illam pertinere supra diximus, renunciaret, & a marito præscriptum *Mutscare* adfensione comprobaret sua. (r)

Quæ igitur constitutio de hereditate terrarum cum nullam habeat iniquitatem, non est causa, cur *Henricum* patrem & ejus conjugem *Mechtildem* tanta infamia adspargant, quasi de jure, atque commodo filiorum, qui primo toro erant procreati, detrahare vel temere legitima hereditate illos excludere studuissent.

Neque *Adolphus* in hac causa sibi quidquam adsumsit, quod quenquam jure posset offendere: tantum enitebatur, ut neque parentibus, neque etiam liberis utriusque conjugii opera, consilio, labore deesset, illaque persiceret, quæ a summa ejus fide, justitia atque auctoritate expectanda fuerunt.

Quo pacis negotio ex sententia *Francofurti* confecto, eodem loco d. V. Jul. *Gerhardo de Landscron* vineam quandam feudalem, quam antea viri nobiles ejusdem familiæ possederant, denuo confirmavit. (s)

Postri-

(p) In his sunt loca, pro dote filiarum oppignorata *Teuthorns ausführliche Geschichte der Hessen*, Th. V. pag. 306.

(\*) Idem l. c. p. 151.

(q) Hæc conditio, quæ spectat ad *Ottonis* hereditatem, minus mira videtur, si verum fuit, ut illa vitam suam sacro ordini addicere deberet: sic enim terra illius ad vitalitium pertinuissent, quæ morte ejus ad fratres pervenire solebant.

(r) Dipl. c. si quem vox *Kind* in litteris *Adolphi* offenderit, is meminerit, per apocopen *Kind* pro *Kinder* antiquitus usurpari.

(s) Nos *Adolfus Dei gracia Romanorum Rex* semper *Augustus*. Ad universorum noticiam volumus pervenire, quod probitatis opera & grata obsequia, quibus *Strenuus* vir *Gerhardus de Lantzkrone*, dilectus noster fidelis se nobis acceptum reddidit, gratiosius intuentes sibi vineam sitam in monte *Manwerk* juxta *Syntziche*, vacantem nobis & Imperio ex morte quondam *Gerhardi & Tilmanni de Lantzkrone* in augmentum feudorum suorum duximus concedendam

R





Postridie eodem loco oppidum Fuldense *Stolzenthal*, quod Abbas *Henricus* ad altiorem fortunæ gradum evehere studebat, novis privilegiis ornavit. (t)

Quo facto Rex *Francofurtum* relinquens, in *Alsatiam* demigravit. Antequam vero in has regiones faciebat iter, dominum de *Rappoltstein* ob rebellionem in vinculis retentum, liberavit. (u)

Noster autem d. XV. Jul. *Landoviciæ* verfabatur, cum oppidis *Memmingen* & *Ravensburg* id beneficii impertiret, ut iisdem, quibus *Ulma*, juribus & privilegiis fruerentur. (x)

Quum igitur Rex in finibus Gallorum moraretur, jam tempus advenisse videbatur, quo in Gallia provincias fieret imperus. At Rex Angliæ, quod infra docebimus, obstabat, quominus id jam faceret.

Interea post *partitionem* terrarum paulo ante *Francofurti* confirmatam mirandum in modum tanta rerum commutatio consecuta est, ut novo malo domestico in Hassia orto *Henricus I.* Hassiæ Landgravius Regem in auxilium invocaret. Neque *Adolpho* defuit studium ex *Alsatia* redeundi & quam desiderabat *Henricus* opem, ferendi: id quod ex castris ad castrum *Stauffenberg* d. XVIII. Aug. positus, & aliis testimoniis, hujus adventus causam explicantibus, intelligitur. Hoc enim die Rex, multis Principibus & Nobilibus presentibus in campis ad castrum *Stauffenberg* judicium exercebat, quo *Coloniensibus*, de quorum rebellionem questus erat *Sigfridus* Archiepiscopus proscriptionem denunciavit, si officia Domino suo debita pergerent negligere. (y)

Quum vero *Colonienses* dicto audientes non essent, *Sigfridus Henricum Fleckonem* de *Heldorp* militem & magistrum curiæ suæ die Dominico ante festum *nativitatis Mariæ virginis* ad Regem mittens, per litteras *Westerburgi* datas petiit ab *Adolpho* ut immorigeros cives, ut promiserat, sine mora prosciberet. (z)

At his præmissis, jam videtur mihi, quæ ad rem nostram propius accedunt exponendi tempus dari, ut respondeamus, cur Rex in *campis*, cur non ipso

dam habendam omni jure, quo eam *Gerhardus* & *Tilmannus* prædicti, ac eorum progenitores suis temporibus habuerunt. Dantes has nostras litteras signatas sigilli nostri robore, prædicto *Gerhardo* in testimonium super eo. Datum in *Franckenfort*; anno Domini MCCLXXXVI. III. Non. Jul. regni vero nostri Vto.

(t) *Schannat* vetus *Buchonia* p. 389.

(u) *Annal. Colmar.* ad an. 1296. in quibus ista leguntur: Dominus de *Rappoltstein* fuit a captivitate Regis Romanorum post purificationem beatæ virginis liberatus. conf. *Schediasma* II. p. 46.

(x) *Lunig.* Part. Special. cont. IV. p. 1416. Idem *Th.* II. p. 222.

(y) *Lunig.* Spicil. Eccl. Fortsch. P. I. p. 392.

(z) Idem Part. Spec. cont. IV, *Th.* II. p. 222.





ipſo in caſtro de cauſſa *Coloniensium* iudicium habuerit? Nonne ex hiſ facile colligitur, *Adolphum* obſidione hoc caſtrum illo tempore clauſiſſe, & cum *Gottfrido*, Comite *Ziegenhainenſi*, hujus caſtri domino, inſenſiſſime contendiſſe? Quæ ſententia minus eſt dubia, ſi alia teſtimonia conſeramus, quæ manifeſtant, quibus rebus Rex adductus, illud *Gottfridi* caſtrum oppugnauerit. (a)

Igitur occaſionem ad hoc bellum gerendum obtulit mors *Henrici* filii præmatura, quæ paulo poſt partitionem terrarum *Francofurti* confirmatam, certe ante *XVIII. Aug.* ſecuta eſt: certabant enim de terris morte ejus relictiſ: nec quicquam eſt indicio, *Henricum* filium poſtea in vita fuiſſe. (b)

Per idem tempus *Otto* filius, invito patre, *Adelheidam* *Ravensbergensem* matrimonio ſibi junxit. Quæ vero cum nobili genere eſſet orta, indignationis cauſſa non ex genere, ſed aliis rebus petenda eſt. Forſitan pater hunc filium, ſacro ordini deſtinatum, cœlibem vitam agere voluit. Atque hoc caſu tota *Haſſia* poſt mortem *Henrici I.* ad liberos ex altero conjugio natos hereditate perveniſſet: quod ſi ſenſu materno judicandum eſt, conjugii *Mechtildi* non diſpicuiſſe arbitror. At *Otto*, vir ſui iudicii *Adelheidam* duxit uxorem.

Neque tamen patris indignatio in hac cauſſa fuit diuturna. Namque poſt mortem filii *Henrici* illi viſum eſt altera vice totam *Haſſiæ* hereditatem in duas partes dividere, quarum unam liberis ex *Adelheida*, alteram ex *Mechtilde* genitiſ decreverat, ita quidem, ut *Ottonis* arbitrio permitteret, utrum hanc, an illam partem eligere vellet. Hanc vero conditionem *Otto* adſpernans, id voluit, ut pater quiete viveret, declarans, ſe poſt fata patris de terris hereditate relictiſ cum fratribus tranſacturum eſſe amice. Quam ob cauſſam cum ille patrem haberet iratum, conſpectum ejus fugiens, *Amœnenburgi* & *Zigenhaynæ* exul morabatur. Tantum enim aberat, ut *Gottfridus* *Zigenhaynenſis* affinis *Otonis*, malum domeſticum comprimeret, ut potius illud conſilio & armis aleret atque auget.

Interim in morbum incidit pater *Marburgi*: quocum graviter conſiſtaretur, ut ejus vita in maximo eſſet periculo; *Otto* filius ſe contulit in *Haſſiam* inferiorem, & falſo nuncio de morte patris civibus deceptiſ, affirmante Comite *Ziegenhainenſi*, perſuaſit, ut illi præter *Reichenbacenſes*, *Rotenburgerſes*, *Milſungenſes*, & *Schartenburgerſes* ſibi jurejurando

R 2

con-

- (a) *Excerpta Chron. Riedelſiani* apud *Kuchenbecker* coll. III. p. 12. ſeqq. Male quidem auctor hujus chronici iſta facta ad a. 1293. retulit, quæ ad a. 1296. potius referenda ſunt, quod ex caſtris *Adolphi* ad *Stauſſenberg* ſatis intelligitur.
- (b) Alii cum *Dillſchbio* putant, *Henricum* filium a. 1298. vitam poſuiſſe: Sed hoc anno *Adolphus* vel ſuis negotiis, vel obitu impeditus, patri *Henrico* opem ferre non potuiſſet.

Conf. *Kuchenbecker* l. c. Coll. VIII. p. 379. *Teuthorn* l. c. p. 183. ſeqq.



confirmarent fidem. Cum vero *Henricus* paulo post ex hoc morbo convalesceret, de injuria filii sui cum Rege *Adolpho* aliisque Principibus & amicis questus, illorum auxilium imploravit. Aderat in his rebus comes *Zigenhainensis*, ejusque consilio multum movebatur *Otto*. Quare *Adolphus*, qui in Thuringia vicina suas habebat copias, cum aliis Principibus patri faventibus, castrum *Stauffenberg* obsidere cepit. Qua vi *Gottfridus* coactus, promisit persuadere *Otoni*, ut ad patris condiciones descenderet, illique terras præreptas redderet. Quod cum minus placeret *Otoni*, ipsi cives, qui temere dederant fidem *Otoni*, facta sua non pia, non probanda detestabantur, & se in fide, *Henrico I.* debita permanfures esse, declarabant. Quibus cognitis, *Otto* in gratiam cum patre rediit, divisionem *Hassiae* & legem, quæ dicitur *Mutscare*, comprobavit. Ita pater confecit, quod voluit; filio autem *Otoni* *Homburgum* ad *Ohnam* & *Bidenap* dedit possidenda, quamdiu pater viveret. (c)

Quodsi vero quis miretur, quod tam exiguo sex vel septem hebdomadam intervallo a d. IV. Jul. usque XVIII. Aug. *Henrici* filii mors, *Otonis* nuptiæ, nova *Hassie* partitio, morbus *Henrici I.* sacramentum a civibus *Otoni* dictum, patris convalescentia, *Adolphi* adventus cum copiis castrique *Stauffenberg* oppugnatio accidisse ferantur, is secum reputet, multa eorum, quæ subito evenerunt, antea fuisse parata; fortunam modo lento, modo cito gradu dominari, & quod maxime considerandum est, in vicinitate *Hassie* Regem habuisse exercitum, ejusque transitum ex *Thuringia* ad castrum *Stauffenberg* fuisse facillimum.

Cæterum mihi aliisque sæpe mirum visum est, quod *Henricus I.* Landgravius bello Thuringico minime fuerit implicatus, neutram pugnantium partem copiis adjuverit, cum tamen vetus illius jus in *Thuringiam* olim ei armorum vi ereptam non dubium esset, illamque possessionibus suis adjungendi jam oblata fuisset occasio.

At obstabat amicitia, quam *Adolphus* & *Henricus* sanctissime colebant; obstabant turbæ Landgravii domesticæ, in quibus ipse auxilio Imperatoris indigebat: obstabat spes, quam forsitan *Adolphus* fecerat *Henrico*, *Thuringiam* emtam & expugnatam in feudum accipiendi. (d)

Igitur Rex, pace in *Hassia* restaurata, *Francofurtum* est profectus, ubi d. XXII. Sept. civitatis *Vesontionis* jura confirmavit. (e)

Postea

(c) Excerpta Riedel. l. c.

(d) Teuthorn P. VI. p. 27. seqq.

(e) *Chiffletii* tract. de *Vesont. civitate Imperii libera*. Parisiis, 1618. p. 237. ubi verba: *Adolphus* Imperator vetera jura civitatis imperialis *Bisontinae* confirmavit, diplomate dato apud *Francofurtum* decimo Calend. Octobr. 1296. in quo *Vesontionem* vocat membrum *Romani Imperii nobile* & ipsius sacri Imperii cameram Principalem,



Postea vero ad copias suas rediisse videtur, quæ post *Bornam* & *Misniam* expugnatam oppidum Misnense *Freybergam* obsidere cæperunt: (\*) qui locus non facilis erat expugnatus.

Namque *Friedericus* admorsus audiens, *Adolphum* id agere, ut *Freybergam* caperet, nihil prætermisit, quod urbi & castro esset præsidio. Noctu nobilem virum, manu promptum, *Nicolaum de Haugwitz* cum multis copiis clam oppidum intrare iussit. Omnibus igitur ad locum defendendum paratis, oppidani loco & præsiidiis satis fidei obsidionem ferre decreverant.

Quum ob hanc causam copia *Adolphi* diu in obsidione hujus loci hæfissent, accidit, ut, transfuga viam monstrante, per aquæductum ultima pectus urbis esset cuniculo subrutus murus, per cujus ruinas exercitus intravit. Quod cum milites *FridERICI* viderent, subito in castrum confugerunt: qui quidem undique clausi paulo post deditionem facere coacti sunt. Itaque magna hostium multitudo in *Adolphi* venit potestatem: quos *Fridericus* deinde pro oppidis *Grimma*, *Rochliza* & *Leisinga* traditis, redemit. (f)

Quibus peractis, Rex credens, in *Thuringia* & *Misnia* jam minus opus esse præsentia sua, postquam auspiciam & imperium nobili viro de *Breuberg* tradidit, in terras suas *Nassovicæ* remigrare constituerat. (g)

Huc iter dirigens, venit *Francofurtum*: quo oppido d. VII. Nov. *Philippo*, *Episcopo Tridentino* confirmabat regalia. (h)

Atque relatum, legimus per idem tempus *Adolphum* in *Nassovia* novam extruxisse civitatem. (i)

R. 3

Sed

(\*) Conf. *Sabertin. N. Hist. B. II. p. 657.*

(f) *Freybergische Stadt-Tubel-Acta 1743. p. 113.* Scribunt recentiores, *Adolphum* captivis impunitatem promississe, postea vero, læsa fide, vel sexaginta viros præstantissimos, omnium contumacissimos, decollasse, cæteros captivos magnum auri pondus pro sua redemptione adtulisse. Cujus sententiæ auctor non est coævus, sed *Fabricius in Sax. Orig.* ad cujus partem alii temere se adjunxerunt. conf. *Fugger. p. 213.* Hinc *Sagittarius* in epistola de antiquo statu *Thuringiæ* p. 50. ita judicat: *Fabricio* tanto minus habeo fidei, quanto intemius mihi constat, innumeris erroribus scatere origines *Saxonicas*, quod non in contumeliam optimi ac eruditi viri scribo, sed quod doleam, supra illa, quæ habebat, non majora fuisse præsidia. Quare etiam alii scriptores, qui de expugnatione *Freybergæ* exponunt, a sententiâ *Fabricii* discedunt. *Matheus Dresser in Isagoge Hist. Regem* quidem fidei violatæ arguit, sed de supplicio taceat, captivos pro tribus oppidis, quorum supra mentionem fecimus, redemptos esse, memorat. Neque illud scriptum, quod de hac re a. 1743. *Freybergæ* prodidisse, paulo ante dixi, significat, captivos pœnam capitis sustinuisse.

(g) *Fabricius. l. c. p. 603.*

(h) *Ughelli Italia sacra T. V. p. 623.*

(i) *Cont. Mart. apud Eckhart. T. I. script. med. ævi p. 1430.* hæc habet: Anno Domini *MCCCXVI.* *Adolphus* in *Misniam* & *Thuringiam* duxit copiosum exercitum,



Sed utcumque hæc res se habet, Regem d. VIII. Dec. Gruningæ suevicæ fuisse, cognitum habemus, cum *Monasterio Amorbacensi* diocæs. Hyperpolit. concessit potestatem advocatus, etiam ab Imperio feudaliter derivatos, ut dicunt redimendi. (k)

Ex *Suevia* sub exitum anni transit in *Alsatiæ*, animo cernens, quæ ipsi insequenti anno in finibus Rheni essent agenda. Itaque *Weisenburgi* d. XXVIII. Dec. *Monasterio Königsbrucken* in Alsatia sito, usum pascuorum, glandium, lignorum in sylva Imperiali, quæ dicitur *Heiligforst*, liberaliter permisit. (l)

Neque

exitum, ut incolarum insolentias, qui quasi insolentias, & commotiones ibidem fecerant contra jura Imperii reformaret, & fideles Imperii multum oppressos in suis iuribus defenderet. Quibus feliciter expeditis, est reversus ad propria: ex tunc autem coepit exsolentias agere, res & jura Ecclesiæ contra justitiam infestare. Civitatem novam construxit, ad quam homines Ecclesiæ Moguntinensis multorumque nobilium invitavit, & sic veros Dominos suis obsequiis spolians, suæ libertati donavit. Hactenus auctor.

At nihil est certi, ex quo conjici possit, Regem hoc anno novam in *Nassovia* construxisse civitatem. Neque Regem, sed ejus nepotem *Adolphum* castrum *Adolphsecca* fuisse conditorem, supra docuimus, Schediasm. I. p. 7. Schediasm. II. p. 26.

Quodsi autem *Adolphus* circiter id tempus ædificando forte fuerit occupatus, id potius *Issteinæ*, quam alio loco accidisse videtur. Etsi enim Rex *Rudolphus* an. 1287. *Idsteinam* nostram privilegio oppidi donaverit, (conf. Sched. I. p. 6.) tamen non id omne, quod ad exstructionem muri adiuque pertinebat, primis annis inceptum & perfectum esse, arbitror. Subsequentibus potius annis aliquid accessisse videtur, quod muniret castrum, & amplicaret oppidum. Igitur hoc tempore accidere potuit, ut post gloriosum ex *Misnia* reditum hujusmodi accessio fieret. In cæteris erroribus, quos fovet continuator, non moror. Quum *Adolphus* noster pacem publicam confirmasset, (Schediasma II. p. 33.) & ipse quondam questus esset, quod cives *Nassovici* in terra *Henrici Comitis Vilmari* confedissent, (Sched. III. p. 53.) valde dubito, Regem nostrum cives Ecclesiæ Moguntinæ a Domino suo abalienasse.

(k) P. Ignatii *Groppii* ætas millæ annorum *Monasterii B. M. V. in Amorsbach* p. 219.

(l) *Adolphus*, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis Imperii Romani fidelibus præsentibus litteras inspecturis, gratiam suam & omne bonum volentes honorabiles & religiosas personas, Abbatissam & conventum in *Königsbrucken* in *Heiligforst* ordinis Cisterciensis devotas nostras dilectas quarum ordinem commendabili flore florentem indeficientis charitatis ardore fincere diligimus, veluti benedictionis æternæ filias celebris vitæ fragrantia coruscantis favore & gratia semper prosequi speciali. Eisdem ex benignitate regia indulgemus, ut pecora sua parva & magna; seu pecudes specialiter porci sui silvam *Heiligenforst* nostram, & Imperii intrare debeant, & nutrirî valeant de pascuis & glandibus silvæ ejusdem; & quod eadem Abbatissa & conventus in dicta silva *Heiligenforst* ligna sine contradictione qualibet secare possint, & educere pro suis necessariis ædificiis & quotidianis ignibus opportuna. Omni-



Neque tamen, dum regem nostrum iter facientem comitamur, id prætereundum est, quod hoc anno inter *Pontificem, Adolphum, Reges Angliæ & Franciæ* de bello, quod imminuit Francis, actum est.

*Bonifacius* Pontifex Romanus, qui superiori anno Nassovium a bello Gallico deterrere cœpit, jam omnes, quos sibi fideles esse putavit, adhortari pergebat, ut belli consiliis quovismodo resisterent.

Itaque monebat *Archiepiscopos Moguntinum, Coloniensem, Trevirensensem*, atque *Episcopum Mezensensem*, ut si quid moliretur *Adolphus*, illi nulla in re essent auxilio. Quum autem omnes litteræ, ad istos missæ, fere ejusdem argumenti sint, in explicandis illis, quas d. XXXI. Mart. ad *Gerhardum Moguntinum* dedit, paululum morari visum est. (m)

Igitur in his meminit, quantam operam per suos internuncios apud *Adolphum, Reges Angliæ & Galliæ* dederit, ut illorum reconciliaret animos. Quod autem cum adhuc non cecidisset, ut volebat & optabat, Moguntino dedit negotium, ut *Adolphum* a sententia sua depelleret, non habita ratione fidelitatis, qua *Gerhardus* fuerit Regi nostro obstrictus. (n)

Simul postulat, ut de omnibus rebus, quas gerat Rex Romanus, certior fiat. Sibi displicere, ostendit, quod Rex Galliæ de Imperii bonis minuatur, suamque pollicetur operam, ut Imperii bona & jura conserventur integra. (o)

Postquam autem *Pontifex* ex *Episcopis* Germanicis cognoverat, tantum abesse, ut *Adolphus* ab armis contra Galliam avocaretur, ut potius in apparando bello acerrime esset occupatus, alia via nifus id, quod voluit, consequi studuit. Jam de *induciis* in certum tempus apud partes dissidentes instare cœpit: de qua re litteris publicis d. XIII. Aug. suam declaravit voluntatem. Mirum vero est, quam bilinguis in hoc negotio fuerit *Bonifacius*. Is, qui antea injuriam a Gallis Imperio Germanico illatam confessus erat, jam

Omnibus nostris officariis, forestariis & eorum famulis hoc edicto regio distinctius inhibentes, ne quis prædictam Abbatissam & conventum contra tenorem nostræ gratiæ molestare præsumat, vel quomodolibet impedire, præsentibus ad nostrum beneplacitum duraturis. In cujus rei testimonium hanc litteram nostrò sigillo fecimus communiri.

Datum in Weisenburg, anno Domini MCCXCVI. V. Cal. Jan. regni vero nostri anno quinto.

(m) *Raynaldi* annal. eccles. ad an. 1296. p. 495.

(n) Idem l. c. Non obstantibus juramento fidelitatis, quod dicto Regi Romanorum teneris, aut quibuscunque pactionibus, promissionibus, societatibus, vel conventionibus, juramento vel quacunque alia firmitate vallatis, quibus prædictis Romanorum & Angliæ Regibus, vel eorum alteri super hujusmodi negotio quomodolibet sis adstrictus.

(o) Idem l. c. Nos enim ferventer intendemus per vias pacis interponere diligenter partes nostras, ut dictus Rex Franciæ ac sui ab Imperii cessent injuriis, & quod ejusdem Imperii bona & jura conserventur illæsa.



jam *Adolphi* causam vocat *quæsitum colorem*, quod a Rege Franciæ se reputaret offensum, quasi prædecessores, & ipse nonnulla occupaverit hæcenus jura Imperii, quæ adhuc detinentur taliter occupata.

Simul dolorem, quem ex his diffidiis caperet, profitetur, & voluntatem, legatos ad Regem Romanum mittendi, ut ab omni contentione desistat, ostendit. Ipsi cognita est via, qua noster ad majorem gloriam niti, bona & jura Imperii conservare possit. Memorat sua pacis studia, adhuc sæpius Regibus Galliæ & Angliæ declarata, suasque propositas dehortationes, ne Rex *Philippus* contra jus Imperii novas res moliat.

Fortuna Christianorum adversa in *Palesina* ipsi versatur ante oculos, his ut Christianorum Reges succurrant, gravissime monet, copias suas contra religionis hostes, quam contra Galliam conjungere, gloriosius existimans. Itaque istis tribus Regibus *inducias* in *biennium* imperat, sperans, hoc modo initium pacis firmæ poni posse. Quodsi vero obsurdescerent, nec ea, quæ monerentur, audirent, *excommunicationem* illis denunciat. Neque tamen dum hæc scribit, omnem spem abjicit, fore, ut admonitionibus suis paternis dent locum, & periculum excommunicationis effugiant. (p)

Sed præter opinionem *Bonifacii* etiam hic labor in irritum cadebat. Neque tamen in consiliis pacis exsequendis erat defessus: quis fuit tam scribendo impiger, quam ille? D. XVIII. Aug. misit ad *Nassovium* litteras, in quibus fere eadem, quæ antea significaverat, repetere illum non piguit. Valde querebatur de contumacia Regum Christianorum, qui consiliis suis parere nolent. Neque defuit studium, *Adolphum* in suam sententiam adducendi, ut propositas inducias in biennium haberet ratas. *Adolphi* gloriam in recuperatione *terre sanctæ* agi, hanc religionis causam certe ad officium Regis Romani pertinere, existimari volebat. (q)

Pari modo Pontifex Regem Franciæ ad pacis studium cohortatus est. (r)

Sed, ut *Adolphus*, ita ille in hac causa repugnabat: hac enim in respondendo tanta audacia est usus, ut nihil supra. Quid multa? Aperte scripsit, *Pontificem* in *rebus Gallie humanis* nullum imperii jus obtinere. Quæ igitur litteræ etsi totæ memoria dignæ sunt, tamen ea modo, quæ ad nostram propius accedunt, & quæ ad illius excusationem adversus *Adolphum* & *Eduardum* pertinent, exscribam. Regem Angliæ vocat *hominem ligium*, querens, illum, qui feuda in Gallia tenuisset, neglecto officio fidelitatis, in judicium Domini feudorum venire noluisse; in hujusmodi contumacia terras feudo obstrictas ad Dominum suum rediisse; jam vero mentem Angli in eo versari, ut jure belli terras istas quasi proprias sibi vindicet.

At

(p) *Raynaldus* l. c. p. 494.

(q) *Idem* l. c. p. 495.

(r) *Idem* l. c.



At de caussa *Adolphi* in hanc sententiam scripsit: *Regi Teutoniae*, inquit, quid potuit, vel debuit plus offerri, quod esset rationis & pacis, quam quod quatuor viri eligerentur idonei, duo pro nobis, & duo pro ipso, qui de limitibus Regni & Imperii cognoscerent, & tractarent, & quicquid super hoc ordinarent, ipsi possent eligere quintum, qui eorum discordiam ad concordiam revocaret? & sic dictus Rex *Theutoniae* de comitatu *Burgundiae* conqueratur, sua querimonia nulla ratione fulcitur. Nam notorium est omnibus, quod post guerram apertam & diffidationem superbam a dicto Rege nobis factam, dictum Comitatum nobis duximus acquirendum. Nam in diffidatione sua contra nos, graviora facere minabatur, & jam forsitan fecisset, si ad haec sibi se obtulisset facultas. (s)

Ex his igitur apparet, Comitatum *Burgundiae* caput fuisse, de quo *Adolphus* & *Philippus* contenderent: cujus potiri, cum noster bello *Thuringico* impediretur, Gallorum Regi erat facillimum.

Hic quidem etsi in illo occupando jam speciem boni viri, jura belli exercentis, praese ferret, tamen ex illis, quae supra diximus, intelligendum est, jura belli temere praetendi sceleribus suis. (t)

Itaque cum omnis cohortatio *Pontificis* ad pacem apud *Adolphum* & *Eduardum* frustra esset facta, mirum nobis videtur, quod tam diu filiorum suorum immodestiam tulerit, nec excommunicationem, quam minabatur, fuerit executus. At videns, rem non ad unum, sed plures, potentiores pertinere, hujusmodi offensionem periculosam esse, facile conjectura consequi poterat. Ita deseruit *Pontificis* ira, praesertim cum animadverteret, Regem *Angliae* paratum facere, quae ipse vellet.

Neque enim *Bonifacius* destitit, sua vel pacis vel induciarum consilia cum *Eduardo* per internuncios communicare, quae tantum valebant, ut ille magis pacem, quam bellum agitare, sive reverentia *Pontificis* adductus, sive diffidens armis suis, & auxilio sociorum. Itaque se ad voluntatem *Bonifacii* conformans, in spem venit, fore, ut hoc anno bellum cum Rege *Galliae* componeretur. Pacis caussa *Camerici* convenire decretum erat: de qua re *Eduardus* sub initio anni *Adolphum* fecit certiorum. (u)

Praeterea *Joannes*, Comes *Hollandiae*, in aula *Anglicae* educatus, filium *Eduardi*, Principem *Elisabetham* in matrimonium ducere constituerat: id quod etiam hoc anno accidit. Nec mirum, quod haec res lata animum Regis *Anglici* ad pacis amorem traduxit.

At cum pater sponsi partes Regis *Galliae* amplecteretur, *Eduardus*,  
dolo-

(s) Leibnizii Mantissa Cod. jur. gent. P. II. p. 228.

(t) Schediasma III. p. 56. seqq.

(u) Rymeri acta l. c. p. 154. Dies, quo haec litterae datae sunt, omissus fuit, Rymer. illas ad anni initium refert.



dolore ardens, petiit ab Rege Romano, ne culpam patris imputaret filio, neque hunc haberet odio, quod ille *Adolphi* gravaretur adsp̄ctum. (x)

Atque hæc caussa esse videtur, cur Anglus militem *Reginaldum Ferrer*, & *Clericum Richardum* mitteret d. XVII. Jan. ad *Nassovium*, cum eo de ista re acturos. (y)

Interea nuncii *Pontificis* nihil omittebant, quod ad pacis properationem interesset: cui negotio *Eduardum* habebant amicum, non adversum.

Quæ cum ita essent, d. XIII. Maj. Rex Angliæ suo & Regis Romani nomine misit legatos illustres in locum, qui ad pacis negotia conficienda delectus erat. (z)

Neque multo post d. XVI. Maj. ille *Adolphum* de induciis prorogatis certiore fecit. (a)

Atque eodem die aliis litteris ad nostrum missis declarat, sibi placere, quod negotia pacis traherentur, cum sciret, *Adolphum* in Germania bellis esse distractum, Scotos sibi negotium faceßere. (b)

Quod igitur excusationi est *Adolpho*, quem *Eduardum* fefellisse, criminantur, differendo bellum, cum tamen constet, Anglum cunctando impedivisse studia Regis nostri. (c)

Neque compertum habemus, an ipse *Adolphus* legatos miserit, qui pacis negotiis in loco, quem supra diximus, interessent.

Interim dies venit, quo nuptiæ *Comitis Hollandiæ* cum filia *Eduardi* celebrarentur: quocirca Rex Angliæ d. XXVI. Jan. hunc generum *Adolpho* non solum diligenter commendavit, sed etiam de ingrato animo illius patris, qui a partibus Gallorum stabat, valde fuit questus. (d)

Neque postea desit de rebus, quæ ipsi curæ erant, cum *Adolpho* communicare: cujus rei testes sunt illustriores legationes, quarum alteram *Eduardus* d. XXV. Aug. alteram d. XXV. Nov. apud Regem Romanorum administrari jussit. (e)

Neque tamen credendum est, nostrum hoc anno nulla arma pro Angliâ cepisse. Etenim cum *comes Flandriæ*, ab Anglis incitatus, adversus Francos arma ferens, in angustiis versaretur, *Adolphus* afflictum non deseruit, & Anglorum caussa virum nobilem de *Falckenberg* cum aliqua suarum copiarum

(x) Idem l. c. p. 155.

(y) Idem l. c.

(z) Idem l. c. p. 157.

(a) Idem l. c. p. 160.

(b) Idem l. c.

(c) Schediasma V. p. 105.

(d) *Rymer*. l. c. p. 160.

(e) Idem l. c. p. 162.



rum parte misit auxilio. Quanquam non utebatur fortuna secunda, quippe qui cum Comite Flandriæ multitudini hostium cedere coactus est. (f)

Caterum restat quædam contentio in *Episcopatu Würzburgensi* cum civibus hujus oppidi orta, quam *Adolphus* hoc anno diremit. Habebant cives Würzburgenses sapius cum Episcopis suis controversias, in quibus plerumque Reges Romanos sumserunt iudices, eosdem sibi faventes. Quum igitur vulnus hoc tempore recrudesceret, *Adolphus Gerharδο, Moguntino Archiepiscopo* dedit negotium, ut quæstionem de hac re haberet. Quo facto, Rex audiens, cives Clericis fecisse injuriam, *Episcopi Mangoldi* cum collegio, ejusque bonis patrocinium suscipiebat. De qua causa d. X. Aug. *Wezlarie* decretum factum est. Ut vero *Adolphus* huic negotio non interfuit, ita per constitutos arbitros, *Gottfridum de Bruneck, Crafftium de Hohenloë, & Rudolphum, Comitem Wertheimensem*, aliam controversiam, quæ fuit civibus cum Clericis Würzburgensibus, exeunte anno dijudicare iussit. (g)

(f) *Ægidius de Roya* in annal. Belgicis p. 44. *Trithemius* in Chron. Hirfaug. P. II. p. 67.

(g) *Frifii* Hist. Würzburg. p. 597.

Plura de vita ADOLPHI alia data occasione, Deo volente, in medium afferre est animus. Jam vero nonnulla, quæ ad GYMNASIUM spectant, indicenda restant. Postquam enim SERENISSIMUS PATRIÆ PATER viro doctissimo, HENRICO FRÖLICH, circiter xxvii. annos præceptorum linguæ Gallicæ peritissimo, ætate & meritis gravi, superiori anno honestum fecit otium; illi visum est, *virum humanissimum, ANTONIUM JACOBY, Hilsburgo-Lotharingensem, à viris prudentissimis* commendatum, huic GYMNASII nostri provinciæ cle- mentissime præficere: qui quidem exquisita linguæ Gallicæ do- ctina ornatus, per hoc semestrem non solum disciplina publica, cui jam singulis hebdomadibus xii. horæ præstituta sunt, sed etiam privata scientiam atque industriam nobis probavit suam. Quibus preces nostras ardentissimas adjungimus, ut PATRONI & FAUTORES litterarum, ad industriam alumnorum nostrorum excitandam, *lustrationi scholasticæ* loco & tempore consueto institu- endæ benevole interesse velint. Præter examen matutino tem- pore habendum



## HORA II. POMERIDIANA:

## I. Ex Classe Prima bonarum artium cultores declamabunt:

- 1) Jo. Wilh. Theod. OTTO, Idsteinenfis, de *premiis virtutis naturalibus*. Germ. Valed.
- 2) Georg Ludov. CRAMER, Wisbadenfis, de *justitia laudibus efferenda*. Lat. Valed.
- 3) Gottfr. Christ. KÖRNER, Wisbadenfis, de *amicitia sancte colenda*. Gall.
- 4) Philipp. Casimir. DIEFFENBACH, Rhoda Superiori - Nass. de *moderatione animi in fortuna secunda*. Carm. Germ.
- 5) Jo. Aug. Ludolph KAISER, Welteroda - Nassov. de *moderatione animi in fortuna adversa canet, & simul actu oratorio finito auditoribus honoratissimis pro benevolis auribus gratias aget quam maximas*. Carm. Germ.

II. Ex Classe Secunda disputabunt, an *studia litterarum mercaturæ præferenda sint?*

- 1) Jo. Fridericus RÖMER, Batavia - Indicus.
- 2) Henricus Christoph CRAMER, Monasterio - Hasslus.
- 3) Jo. Fridericus Christian. HAGEMANN, Wisbadenfis.
- 4) Carolus Adolph. Gottlob SCHELLENBERG, Idsteinenfis.
- 5) August. Henricus de HINCKELDEY, Werthemio - Francus.

III. Ex Classe Tertia & Quarta inter se colloquentur de *pudore subrustico, a diligentia & bonis moribus deterrente:*

- 1) Carolus Philipp. KOCH, Wisbadenfis.
- 2) Jo. Philipp. HENRICH, Idsteinenfis.
- 3) Christian. Aug. Jacob. MOGEN, Dieza - Nass. Arauf.
- 4) Jo. Fridericus Bernhart. Ludovicus de HACHENBERG, Neowidenfis.
- 5) August. Wilhelm. LANZ, Bleidenstadio - Nass.
- 6) Carolus Ludovicus HUTH, Francofurtensfis.





No 1627. g

KO78

ULB Halle

3


006 305 962




n. 0











SCHEDIASMA SEXTVM  
DE VITA  
ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORVM,

A. MCCXCVI.

QVO  
AD SOLEMNIA LVSTRATIONIS  
GYMNASII IDSTEINENSIS  
VERNA,

D. VI. APRILIS A. clō Io CC LXXVIII.

CONCELEBRANDA,

PATRONOS, FAVTORES,  
ATQUE  
AMICOS LITTERARVM

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,  
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.